

SULPHURETUM HYDRARGYRI FACTITIUM.

Rx. Sulphuris puri libram unam.

Liquefacto in vase fictili adjice sensim
Hydrargyri puri libras tres.

Agitentur continuo, donec exacte unita
appareant, et nigrescant. Frigefactam, et pul-
veratam materiem forti igne sublima ex phia-
la vitrea in massam rubram, phialae orificium
chartâ obturando: postea laeviga, et serva ad
usum.

Dosis ad grana octo.

CAPUT XLII.

PRAEP. EX ANTIMONIO.

ANTIMONIUM PURUM.

(*Regulus Antimonii.*)

Rx. Sulphureti Antimonii Nativi, striati, et niti-
di libras duas,

Tartritis Aciduli Potassae Communis libram
unam, et semis,

Nitratis Potassae puri uncias octo.

Seorsim pulverata misce, et in crucibulum ignitum cochleatim immitte. Peracta detonatione, materiem liqua, et refrigerato crucibullo, Metallum in fundo haerens à scoriis separa, et lava.

MURIAS OXIGENATUS ANTIMONII.

(*Butyrum Antimonii.*)

Rx. Antimonii puri uncias quatuor,
Muriatis Oxigenati Hydrargyri Sublimati uncias duodecim.

Seorsim pulverata, et cautim mixta in mortario lapideo inde in retortam vitream brevioris, et latioris colli: apta receptaculum amplum, et commissuris clausis distilla igne per horae spatium leni, deinde gradatim aucto. Ascendet in receptaculum liquor primo tenuis, mox crassior, postremo Sal crystallizatum, quod si retortae collo adhaeserit, carbone admoto liquabis, et in vase rite clauso servabis.

Usus externus.

OXIDUM ANTIMONII SEMIVITRIFICATUM.

(Hepar Antimonii.)

℞. Sulphureti Antimonii Nativi, nitentis, et in pulverem triti, } ana libram unam,
 Nitratiss Potassae pulverati. }

Muriatis Sodae unciam unam.

Misce, per intervalla in crucibulum candefactum injice, et calorem augendo liqua. Effunde, et frigefactam massam à scoriis separa.

Pro Tartrite Potassae Antimoniali conficiendo, et loco Oxidi Vitrificati usurpatur.

OXIDUM ANTIMONII SULPHURATUM RUBRUM.

(Kermes Minerale.)

℞. Sulphureti Antimonii Nativi, subtilissimè pulverati uncias quatuor,
 Carbonatis Potassae Communis libr. quatuor,
 Aquae purae libras viginti duas.

Dissolve Salem in Aqua, et filtra. Ebullienti liquori in vase ferreo per vices adjice

ZZ

Sulphuretum. Bulliat per horam saltem. Liqueorem adhuc ferventem filtra. Pulvis ruber per refrigerationem subsidebit, quem, dissolutione decantata, aqua frigida edulcora, leni calore exsicca, et pulveratum serva. Si decantatae dissolutioni tantundem Antimonii, dum fervet, addideris, procedendo, ut superius dictum est; novam Kermes portionem elicies; quod etiam eveniet, si ter, aut quater eandem operationem iteraveris.

Dosis à grano uno ad grana quinque cum aequali Sacchari quantitate.

TARTRIS POTASSAE ANTIMONIALIS.

(Tartarus Emeticus.)

℞. Tartritis Aciduli Potassae purificati uncias sex, Oxidi Antimonii Semivitrificati laevigati, et loti uncias quatuor, et semis, Aquae Distillatae libras quatuor.

Coque leniter in vase vitreo per horam spathula lignea movendo Liqueorem filtratum vapora leni igne ad pelliculam, et repone, ut

fiant crystalli. Vaporationes, et crystallizationes repete donec crystallos non obtineas.

Dosis à granis duobus ad grana sex.

VINUM ANTIMONIALE.

(*Emeticum.*)

℞. Vini Albi optimi libram unam,
Tartritis Potassae Antimonialis scrupulum
unum.

Dissolve. Ex tempore fieri debet.

In singulis unciiis continet Tartritis Potassae Antimonialis grana duo.

Dosis interne ad uncias tres.

VINUM OXYDI ANTIMONII.

(*Vinum Emeticum turbidum.*)

℞. Oxydi Antimonii Semivitrificati laevigati uncias tres,

Vini Albi optimi libras duas.

Digere in matraccio, et serva. Ad ejus vero usum agitari debet, si forte in schedulis turbidum pro clysteribus praescriberetur.

OXYDUM ANTIMONII ALBUM.

(Antimonium Diaphoreticum Usuale.)

R^x. Sulphureti Antimonii Nativi semilibram,
Nitratis Potassae libram unam, et semis.

Seorsim pulverata misceantur exactè, et in crucibulo candente cochleatim injiciantur, ut per vices detonentur; peracta combustione ignis augeatur per horam; postea crucibulum separa ab igne, et cautè in aqua fervente mitte, ut materiem cum fragore dissolvatur, continue agita aquam lactescentem, ut omnis à crucibulo separetur materies: tunc per setaceum cola, et post subsidentiam aquam per inclinationem separa, multoties pulverem album ablue, sicca in umbra, et serva ad usum.

Dosis ad drachmam semis.

N. B. Si lotiones evaporantur in vase vitreo ad siccitatem, massam salinam obtinebis, Potassa, Antimonii Oxydo, et Nitrato Potassae constans, quae *Nitrum Stibiatum* ab antiquis vocabatur.